

ARTICULUS X.

Quæ authoritas aliarum translationum.

CONCLUSIO I.

EDITIOES quinta & sexta non reprehenduntur à veteribus ut infideles & infincera, imo laudantur ab Athanasio in synopsi, & ab Hieronymo varijs in locis : sed hæc modò non extant, exceptis earum aliquibus fragmentis.

CONCLUSIO II.

PARAPHRASIS Chaldaica non tantam habet authoritatem, quantam editiones Hebraicæ, Græcæ, & Latinae; est tamen non parum utilis.

PRIOUS PROB. partim quia non est textus sacer, sed humana quædam explanatio; partim quia varijs in locis mixta habet nugæ & fabulas Judaicas. Observant tamen linguarum periti, quod in Pentateucho sit purior quam in libris alijs, etsi nec ibi sit omnino pura & incorrupta.

PROB. POSTERIUS, Ad hoc enim servit ista paraphrasis ut rariores Hebraici textus voces intelligantur, & obscuriores sententiæ difficiolioraque loca tam Latinae & Græcæ versionum, quam Hebraici fontis explicentur, ut ostendit Franciscus Lucas in priorè tract. quem de Chaldaica paraphrasi edidit. Et quoniam ipsa magni fit à Judæis; valet etiam ad eos convincendos, ubi loca quædam nolunt de Messia dici, quæ non solum christiani de illo dicta interpretantur, sed etiam ista paraphrasis.

ARTICULUS XI.

De Syriaca versione novi testamenti.

NON tanta est hujus versionis authoritas, quanta nostræ editionis Latinae, imo nec quanta Græci textus; tum quod veteres patres numquam ipsius meminerint, ne quidem illi qui vel in Syria, vel in Ægypto fuerunt Episcopi aut presbyteri (quod signum est falsò à quibusdam existimari S. Marcum ejus esse authorem;) tum quod errata non parva contineat. Nihilominus tamen varias habet utilitates; Unam communem, quòd editionem nostram vulgatam in multis constimet ac illustret (id quod versionum collatio facere solet:) Alteram particularem, quam refert Bellarmin. l. 2. de verbo Dei c. 4. quod cum in titulis ac sectionibus capitum mentio fiat jejuniarum, venerationis crucis, precum pro defunctis, vigiliarum, memoriæ sanctorum, aliarumque ejusmodi rerum quas hæretici nostri detestantur, eos condemnat hæc versio, ritusque Ecclesiæ stabilis.

ARTICULUS XII.

De authore vulgata editionis Latinae.

DE ILLA editione vulgata sermo est, quæ nunc in omnium manibus versatur, & tum à Concil. Trid. tum ab alijs passim appellatur **EDITIO VULGATA.**

Nam ante tempora B. Hieronymi, cum innumerabiles essent Latinae versiones, erat tamen una communior, quæ tum vetus, tum vulgata dicebatur, ut patet ex Hieron. in cap. 49. Isaïæ, & ex Greg. in epistola prefatoria ad libros Moral. ad Leandrum cap. 5. de qua putatur loqui Aug. l. 2. de doctrina Christiana c. 15. sic dicens, in *ipsis interpretationibus Itala ceteris præferatur, Nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ.*

*Versio
nostra
vet. test.
est ex S.
Hieron.*

At cum S. Hieronymus suam ex Hebræo Latinam versionem absolvit, vetus illa aliquamdiu quidem retenta est simul cum nova per B. Hiero-

Animum facta; sed sic ut nova plures feret, tandemque sola retineretur velut Hebræo fonti purius fideliusque respondens. Unde Gregorius dicto cap. 5. ait, se novam translationem differere, *Ac nihilominus nunc novam nunc veterem per testimonia assumere; & Sedem Apostolicam utraque uti.* Et l. 20. Moral. cap. 24. *Quia hæc nova translatio ex Hebræo nobis Arabicoque eloquio cuncta verius transmississe perhibetur, credendum est quidquid in ea dicitur.*

Sanctus quoque Aug. l. 18. de civit. c. 43. scriptum reliquit versionem Hieronymi ex Hebræo in Latinum, ipsorum Judæorum confessione esse veracem.

Et Isidorus l. 6. origin. c. 3. ait quod *illa merito ceteris antepositor, cum sit & verborum tenacior, & perspicuitate sententiæ clarior.* Quibus similia repetit l. 3. de officijs c. 12. eumque sequitur Rabanus Maurus l. 2. de instit. cleric. c. 54. *Cæterum, quæ S. Gregorij tempore dicebatur nova sive translatio sive editio; tot sæculorum exinde usu facta est vetus & vulgata.*

Author igitur hujus vulgatæ nostræ editionis Latinae quoad vetus testamentum, est S. Hieronymus, qui illud *ferè*, totum ex Hebræo immediate transtulit in Latinum. Ipse enim in fi. l. de scriptor. Eccles. ait se vetus testamentum juxta Hebraicam veritatem transtulisse; quod & ex præfationibus quæ ipsis veteris testamenti libris præponi solent, clarum est: Nec ullus alius produci potest, cui vulgata nostra versio jure ascribatur. Imò dum in B. Hieronymi commentarijs ad prophetas tam Minores quam Majores ponuntur duæ diversæ interpretationes Latinae, una ex Hebræo, altera ex 70. illa quæ ex Hebræo est, est eadem cum ea quam habemus in nostris biblijs.

Deinde, quæcumque S. Hieronymus præfat. in Paralip. dicit in editione Latina defuisse ex Græcis codicibus, ac se ex Hebræo restituisse, ea omnia reperiuntur in nostra vulgata editione: est ergo nostra editio ex B. Hieronymo.

Si dicas, Hieronymum præfat. in Paralip. Job, & Psalterium, monere quod editionem suam obelis & asteriscis distinxerit: Cum igitur hæc signa desint in nostra editione, sequi videtur eam non esse B. Hieronymi.

Resp. Neg. Conseq. Primò, quia facile fuit ista signa excidere sive scribarum incuria, sive aliter. Secundò, quia Hieronymus (ut ex ejus epist. 89. cap. 6. patet) obeliscos & asteriscos tantum suæ versionis ex Græco posuit, nostra autem est ex Hebræo.

Quoad novum autem testamentum, ignoratur quis sit ejus author; Probabile tamen est eam quam habemus translationem, temporibus Apostolorum esse factam, & ab ipsis Apostolis visam ac probatam, quam deinde à mendis quæ vel per imprudenciam irrepserant, vel ab aliquibus insertæ erant authoritate Damasci pape emendavit Hieronymus. *Tu* (inquit præfat. in Evangelia ad Damalium) *qui summus sacerdos es, fieri jubes.* Et in fi. l. de scriptoribus Ecclesiasticis de seipso scribit, *Novum testamentum Græca fides reddidit, vetus juxta Hebraicam transtulit.*

Sunt tamen aliquæ veteris testamenti partes quas ex prædicta B. Hieronymi translatione non habemus, cum ipse eas non veterit ex Hebræo. Hæc sunt, liber Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum, Baruch, cum adjuncta Jeremiæ epistola, appendiculæ libri Hester, quædam ex cap. 3. Danielis,

*Quos li-
bros
vet. test.
non ha-
bemus
ex B.
Hieron.
lis,*